

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Epicedium, In praematurum Obitum Illustrissimi Et
Generosissimi Domini, Dn. Christiani, Comitis in
Oldenburg & Delmenhorst/ ... Nati, Anno MDCXII. ... Cuius
Funus ... Inferebatur ... MDCXLVII. ...**

Stephani, Jacob

Bremae, 1647

VD17 VD17 23:267113W

[urn:nbn:de:gbv:45:1-488033](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-488033)

D. T. A.

3

EPICEDIVM,
In præmaturum Obitum
ILLUSTRISSIMI ET GENEROSISSIMI
DOMINI,

DN. CHRISTIANI,
COMITIS in Oldenburg & Selmen-
horst/DYNASTÆ in Zehver
& Kniephausen/&c.

NATI, ANNO, M DC XII.

& vitæ hujus muniis defuncti post IX. Kalend. Jun.

CUJUS FUNUS SOLENNISSIMIS EXSEQUIIS CRY-
PTÆ AVITÆ INFEREBATUR, AD NONAS QUINCTIL.
M DC XLVII.

Humilima Venerationis causâ

Scriptum.

A JACOBO STEPHANI,
Rectore Oldenburgico.



B R E M Æ,

Typis BERTHOLDI de VILLIERS, ibidem Scholæ Typographi, Ann. 1647.

3



Agna Deum soboles cecidit! spes magna, de-
cusque
Stemmatibus Oldenburgiaci, Comes Inclutus, eheu!
Sperantem moritur cito. Splendida

Ordine quem
Westphal
Gaudet, & an
Witte Kindi ad
Regia Cimbror
Stemma suum
Ortus princip
E. Ducibus tan
Sueciaci oblat
Magnanimus
Cedit, & hos
(Quid non, T
A tantis na
Ad rivum De
Quaq; Visurg
Pergama qu
Corpore pra
Obstupere
Huntai latic
In subitam C
Si moritur c
Hic moritur



Lustra





Agna Deum soboles cecidit! spes magna, de-
cusque

Stemmatibus Oldenburgiaci, Comes Inclytus, eheu!
Sceptringeri generis, moritur cito. Splendida
longo

Ordine quem dudum jam vexit ad æthera virtus.

Westphalia Ducibus genus hoc, Angrivariaq;
Gaudet, & antiqua ab *Regum* sibi origine sedem
Wittekindi adum concessam jure tuetur.

Regia Cimbrorum domus ac Holsatidum, eodem
Stemma suum referunt. Hos inter, *Adolphe*, superba
Ortus principium debet tibi, *Quarte, Lubeca.*

E. Ducibus tantis Henricus Ferreus olim,
Sueciaci oblatum Regni diadema recusat,
Magnanimus Princeps; ac sponte Megapolitano
Cedit, & hos Regni fasces, sceptrumq; tremendum.
(*Quid non, Teutonicum Sanguen, Tibi Suecia spondet!*)

A tantis nactus regimen majoribus, ecce!
Ad rivum *Delma*, nitidis suspensa columnis,
Quaq; *Visurgis* abit placidè, prænobile flumen,
Pergama qui incoluit, cœlebs moritur, sine prole;

Corpore præstanti, tanquam *Germanus Achilles.*
Obstupuere omnes, vocem primumq; premebant
Huntai latices, placidusq; *Visurgis & Albis,*
In subitam *Comitis* figentes lumina mortem.

Si moritur casu quisquam, si nascitur unquam,
Hic moritur casu Comes, ajunt, tristeq; lugent.

Lustra

Lustra, lacus, luci, suspiria jungite amara,
 Lanigeræ pecudes, lugete, & bucera secla.
 Æripides cervæ, & capreæ, nitidiq; caballi,
 Plangite nobiscum, lachrymarum fundite rivos.
Templa Scholæq; dolete, & tristia dicite *Musa*
 Carmina. Luctifonos *Charites* nunc edite fletus.
 Testentur *Sylvæ*, fontes rupésq; dolorem.
Funere & Agnati doleant, & *Subditus* omnis.
 Sunt hi namq; dies cumulatis nubibus atri.
 Cædibus abstinuit *Comes hic*, temulentaq; fugit
 Prælia, quæ *Bellona* ferox, ac tristis *Erinnys*,
 Exercent, flammisq; & sanguine cuncta remiscunt;
 Cuncta latrociniis turpant, variisq; rapinis;
 Et vitam temerè statuunt in acumine ferri.
 Perpetuam coluit pacem, populiq; salutem,
 Quod decus est *Regis*, cautè spectavit ubiq;
 Nec tamen ipso in vernantis bene flore corusco
 Ætatis, properà nece non obit. Omnia versat
 Sic fors atq; ævum. Subigunt fata aspera mundum.
 Primus homo postquam cecidit *Cacodæmonis* astu,
 Sunt digiti neutrum semper juncti undiq; fufis,
 Diraq; multimodis hominum fata *Atropos* urget.
 Trux luctu *Lachesis* neq; flectitur ullius unquam;
 Cum gemitu reboent licèt Orbis & *Orcus* amaro.
 Namq; ferox crucibus millenis ebria *Clotho*,
Tartarei Jovis imperio, crepitantibus alis,
 Spicula mortis agens, terras circumstrepit omnes,
 Discruciatq; animas stygiis excita cavernis.
 Arte sua *Medicus* nihil hîc valet ipse *Machaon*,
 Aurea non valet hîc vestis, non *Eburneus* axis.
 Nec juvat hîc trabea ostro ardens, aut *Massicus* humor;
 Quælitis aut mensâ epulis, rutilumve metallum:

Nec si vel patuli veniant de montibus amnes
 Auriferi. Prodest generis nihil alta propago.
 Nil valet hîc robur; validi nil corporis artus,
 Nil decus egregium præstantis corpore Nymphæ.
 Mille nurus nitidæ nihil hîc præstare potestis.
 Dives equis, felix pecoris, fulgensq; cylindris,
 Orgia non poterunt properantis frangere fati.
 Omnia mors æquat; meta est mors omnibus una.
 Finis huic nostro nec erit concessa periclo,
 Donec erunt nitidè stellantis coerulea mundi.
 Solus homo pollens pietate, & plenus Olympi,
 Tranquillans animi, saliunt quæ in vela, procellas;
 Indubitata fides docuit quem spernere mundum,
 Fortunæ spernit lusus, & inania mortis,
 Quemq; homini stygiæ motant Acheronta Megaræ.
 Alcides domitor monstrorum ut fortiter Hydram,
 Geryonem, cervumq; & aprum, sævumq; leonem,
 Contudit, atq; infesta sibi mala quæq; fugavit:
 Sic Erebi trucibus Furiis, fideiq; chimæris
 Cœlorum potitur civis vi, victor Averni.
 Talis erat *Comes hic*: qui tempestatibus actus
 Fortunæ variis, *Bellona* immane flagellum,
 Invidiæ stimulos, morbosq; animiq; dolores,
 Atq; alias Lernas, ac Dira, (quis omnia narret?)
 Pectoris invicti prostravit robore, mortemq; que
 Haut veritus quicquam, graviorem animosus obivit.
 Promptius ad lethi processit limina, quàm si
 Maxima Delmiacis glebis adjungere regna
 Cœlitus obtigerit, mordacibus illita curis.
 Ignorat quis enim turbarum mille figuras
 Regibus infestas? quò plus regionis & agri,
 Hoc oneris plus est Tibi, Princeps, litigiiq; .

Jam

Jam tibi reclamation Vicinus, & accola ripæ.
 Mox queritur populus graviori pondere pressus.
 (Luminibus centum Princeps hinc indiget omnis,
 Alternâ vigilent vice quæ, capiantq; quietem:)
 Nunc Agnatorum graviores morte querelæ
 Afficiunt animos. Fides malè vernula fallit.
 Invida litigiis resonat mox Aula superbis.
 Pondera mox templum curarum, mox Schola spissant;
 Non ubi consiliis melioribus omnia fiunt:
 Quisq; tamen culpam titulo præscribit honesto.
 Non habet hic pensi, quid agat; nec & ille, quid ajat.
 Longus ero nimum, cupiam si cuncta referre,
 Tam variâ Proceres, quorum deducitur omnes
 In populi curas animus, sub mole gemiscunt,
 Qui justis patulum moderantur legibus orbem,
 Fluxa relinquentes pereuntis gaudia secli;
 Summa salus populi quibus est lex, lethiferasq;
 Consilio ac studiis hominum fulcire ruinas
 Enixè cupiunt, commisso & munere fungi.

Quam vigilans fuerit *Comes hic*, atq; intemeratæ
 Religionis amans, res testificantur abundè.
Templa Scholasq; etenim coluit, nullisq; pepercit
 Sumptibus, ut studiis clarum, vitaq; probatum,
 Cordatumq; virum, veræ pietatis amantem,
 Præficeret reliquis. Proh, quantum est instar in uno
 Sæpè viros! sua qui non spectat, & ardet amore
 Sincero erga alios, nulliq; incommoda cudit.
 Pharmaca, qui malus est Medicus, sua bile remiscet.
 Nec bonus est Medicus, cujus medicina dolores
 Multiplices adfert ægris, & commoda nulla.
 Nec bonus ullus ovem pastor neglexerit ullam.
 Est Princeps Medicus regionis; Pastor & idem.

Rex

Rex bonus est, ubi plebs opibus virtuteq; crescit.
 Munere Pastorum canis haut bene fungitur ullus.
 Nec, lupo est in quo, tutum servabit ovile.
 Justitiã atque æquã cunctos ratione gubernans,
 Respicit afflictos, & eos, quos urget egestas;
 Nec miseras leges, hominumq; negotia ludit.
 Justitia ac Pietas, miserandi & prompta voluntas,
Hunc Comitem, ut rutilum triplex inserta metallum,
 Ornarunt. meritis respondet gloria tantis.
 Res alias hujus speciosas nolo referre.
 Sunt bona, quæ retuli, verè bona; cætera fumus.
Templa Scholæq; gemunt ubi durum, cuncta fremitq;
 Impatiens plebs; dic, quæso, mihi, laude quid illic
 Esse potest verã dignum? quæ gloria vera?
 Hæc bona, quæ dixi, per secula cuncta vigeant,
 His proceres solis omni celebrantur in ævo.
 Cætera quisquiliæ sunt, & mera somnia, parvo
 Momento peritura abeuntq; ut fumus in auras.
 Sic sapuit *noster Comes*. hæc sapientia vera est.
 Qui sapiunt aliter, nimium illi sunt sapientes;
 Aut nihil omnino sapiunt: ceu debile vulgus.
 Hic videat *Princeps*, sibi quis sit *fidus Achates*?
 Aut sit ubi imperiosa fames, livorq; secundis
 Anxius; & risu fraudes prætexere doctus,
 Dissimulare dolos variosq; artemq; nocendi,
 Sævitiã tumidus, lucriq; cupidine fervens.
 Acrior Harpyis, rapidisq; incertior undis,
 Vendere seit populi qui jura; nocentior hydrã.
 Unus homo scelerum mensuram expleverit omnem.
 Mors igitur, *CHRISTJANE COMES*, quæ tædia vitæ
 Discutit, & cunctos solet extenuare dolores,
 Non potuit gravis esse Tibi, quoctanq; veniret

Tem-

Tempore. Nam peperit vitæ Tibi gaudia veræ:
 Qui fidei, & tantâ pietatis laude coruscas.
 Nec tuus (unde dolor poterat Tibi surgere amarus)
 Grex erat eximio viduus Pastore futurus,
 Nam *Succefforem*, quo vix celebratior alter
 Magnificâ virtute fuit, Tibi provida cœli
 Cura dedit; Magnum meritò quem jure vocamus,
 A magnis meritis, patulus quæ prædicat orbis,
 ANTHONIUM GUNTHERUM, qui pietate nec ulli
 Cedere Magnati cupit, almo dignus honore.
 Hunc gravis eloquii decorat laus, judiciique.
 Dotibus excellens animi Comes: Usus ab annis
 Cui magnus, Vigor & vegetus stat corpore toto.
Oldenbûrgiaca per eundem gloria terra
Magna stat, Invidia stimulos calcare paratum.
 Hic facit, ut resonent Verum Templiq; Scholæq;
 Pulpita: *Romulidum* procul hinc furor, atq; *Gebennæ*.
 Quæ Paradisiacis Divina pronœa viretis
 Protulit, & *sacro* conscripsit *Codice* nobis,
 Et si quid sana poterit ratione probari,
 Eq; Dei Verbo deduci (norma docendi
 Usq; manet Verbum. valeant, qui somnia tradunt.)
 Hæc sequimur. nam fallit inenarrabile fatum,
 Atq; nihil certi tradit mortalibus unquam.
 Sana autem ratio nunquam contraria Verbo:
 Sed se submittit, ceu fida ministra, Deoq;
 Deberi putat omne, quod orbis habet spatiosus:
 Seu res, seu factum fuerit, seu sermo: futuram
 Materiam hanc reor esse, poli quâ templa sonabunt
 Usq; DEI laudes. Domini sic gloria crescet.

Quadruplices humeris exantlat fortiter Ætnas

A 4

Noster

Noster Atlas, Comes Oldenburgiacus. orbis Amor qui,
 Delitiumq; audit meritò, si vera fatemur;
 Laudibus haut impar magnis Majoribus Heros,
 Oldenburgiacum perfer data pondera Sanguen!
 Grande feres onus. hinc verè quoq; grandia surgent
 Præmia, quæ nec habent metam, nec tempora nôrunt.
 Major es invidiâ, major quoq; carmine nostro,
Rumpit Otacilium Torquatus: bucula ranam.
 Macte tuis animis, multùm, Comes inclyte, macte!
 Non metuis quicquam, didicisti at cuncta cavere.
 Cœlestis placidam pacem tibi spondet Oliva:
 Aut Pax cessat ubi, totus Tibi militat æther.
 Plura supersedeo nunc dicere. Plura mereris.
 Extremum, *defuncte Comes*, Te alloquimur. Ecce!
 Tanto in *Fratre Tuo* vivis, Virtute & avita:
 Vivis & in scriptis nostris, fama; celebri:
 E; tuo tumulo tandem redivivus abibis:
 Jamq; agis in Superis. Non ergo es mortuus unquam.

D. T. G.





